

Decif. Aurearum Pars II. Lib. I.

est concedenda nisi se corrigentibus, vel corrigere volentibus, c. legatur. 24. q. 2. text. in c. quod quidam. de pgn. & remis. Vnde in errore persistentib. præter denegationem sacramentorum, est deneganda sepultura ecclesiastica, c. quibus. 13. q. 2. Hinc negantibus malè ablata restituerent, vel præstare cautionem cum potuerint, sacramenta sunt deneganda, c. super, de rapt. Nec etiam sunt danda à grauib. peccatis subito reuertentibus, de pœnit. dist. 1. c. in actione. pariter non sunt danda contra interdictum prælatorum. dist. 32. c. præter, §. porro.

S V M M A R I V M.

- 1 Catechismus & Exorcismus debent præcedere baptismum. & catechismus quid.
- 2 Catechismus præcedere baptismum quare debeat.
- 3 Catechismus quid. & propter tria inueniuntur est.
- 4 Credo, quod profertur à baptizando, quid significet.
- 5 Patrinus an teneatur ad baptizati institutionem.
- 6 Obligatio pueri qua fit per patrinum, an sit proprie votum.
- 7 Exorcismus in baptismo non est prætermittendus, qui fit per presbyterum.
- 8 Baptismus quatuor præcedunt, & quid significent.
- 9 Vñctio triplex est circa baptismum.

De Catechismo, & Exorcismo. Cap. II.



Onsequenter considerandum est de singulis sacramentis in specie, & primo de baptismo. Verum quia Catechismus, & Exorcismus, disponunt hominem ad baptismum, & sunt eius quædam præambula, vt probatur per tex. in c. siue paruuli, cum decem seq. de consecr. dist. 4. Ideo prius videamus de ipsis. Sciendum est igitur, quòd nullus absque catechismo,

& Exorcismo baptizari debet, vt fidei primum catechumenus accipiat rudimentum, c. ante. de consecr. dist. 4. Catechismus em Græce, Latine dicitur instructio. Vnde catechizare instruere est, vt de symbolo, & rudimentis fidei. Vnde etiam catechumenus dicitur audiens, siue instructus. Sed Exorcismus de Græco in Latinum dicitur abiuratio. Vt Exi ab eo immunde spiritus. Ita Archid. & Turrecr. in d. c. siue. Sed modo ad decisiones deueniamus, quarum prima,

Catechismus, qui est instructio circa fidei rudiméta, & circa generalia fidei, quæ etiam rudibus sunt necessaria ad sciendum, conuenienter debet præcedere baptismum, siue adulus sit qui baptizetur, siue puer. & ratio est: quia baptismus iuxta S. Tho. in 3. par. dicitur sacramentum fidei. Ideo merito requiruntur à baptizando ea, quæ sunt de necessitate fidei, & hæc tria sunt, scilicet, fidei susceptio, fidei professio, & fidei obseruatio. Et ideo propter hæc tria catechismus inuentus est, in quo fit institutio de articulis communibus distincta ad fidei susceptionem, fit etiam responsio ad fidei professionem, & ad fidei obseruationem.

De hac responsione habetur in cap. prima. de consecr. dist. 4. *Quia* vero præ adulus peccatum proprium habet, & per se credere potest, requiruntur hæc ab eo de necessitate, & per se ipsam respòdet. ead. dist. cap. cum pro paruulis. At in paruulo, qui nec peccatum actuale habet, nec per se accedere potest, requiruntur ab eo de congruitate, & ideo etiam catechizandus est ex ipsa generali consuetudine vniuersalis Ecclesiæ, & fit instructio mediante alio, hoc est Patrino, cui committitur puer instruendus, & ipse loco eius confessionem & professionem facit. Vnde Patrinus nõ respondet in persona propria, sed in persona paruuli, c. quæritis, ead. dist. ver. difficillimam. Et est sensus eundem dicit præ Credo. i. Sacramentum fidei præpositum accipere, in persona pueri loquens, vt August. exponit. Vel secundum Dionys. Verbum Credo potest referri ad id quod